

DOCUMENTATION

PONTIFICAL BULLS

Davao Archdiocese

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI ad perpetuam rei memoriam. Sanctae Ecclesiae utilitatibus quo magis in dies prospiciamus, ea proposita accipienda censemus, coepta ineunda, quae adhuc finem aptius conducant. Sententiae ideo venerabilis fratri Carmeli Rocco accedi posse existimamus. Archiepiscopi titulo Justinianopolitan in Galatia et in Insulis Philippinis Apostolici Nuntii, qui post auditum coetum Episcoporum Insularum Philippinarum atque locorum Ordinarios quorum negotium interesset, ab Apostolica Sede petiit ut, partito territorio provinciae ecclesiasticae Cagayanac, nova ibi locorum provincia excitaretur. Quae cum ita sint, de consilio venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardenalium, qui Sacrae Congregationi pro Episcopis praesunt, ea quae sequuntur decernimus ac iubemus. A metropolitano iure archiepiscopalnis Sedes Cagayanae diocesim Davaensim seiungimus, itemque paelaturas Cotabatensem, Marbelianam et Tagumnam, iisque provinciam ecclesiasticam Davaensem constituimus, quae Sede Davaensi ipsa tam quam metropolitana constabit, atque paelaturis Cotabatensi Marbeliana et Tagumna tamquam suffraganeis Ecclesiis, datis iuribus et privilegiis congruis. Decernimus praeterea ut venerabilis frater Clodoveus Thibault, adhuc Episcopus Davaensis, fiat Archiepiscopus Metropolita eius Sedis, cum facultate crucem et pallium deferendi, postquam tamen hoc in Consistorio rite postulatum et impetratum fuerit; atque Praelati Sedis, quas diximus, eius fiant suffraganei, ad normam iuris communis. Haec quae praescripsimus ut ad effectum adducat curet venerabilis frater Carmelus Rocco, quam diximus, vel ab eo delegatus sacerdos. Qui vero negotium perficerit congrua documenta exaret ad Sacramque Congregationem pro Episcopis de more quam primum mittat. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose servarentur, atque igitur vim suam obtineant, Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogamus omnibus. Nemini praeterea haec coluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis

exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides. quae huic haberetur, si ostenderetur. Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis iunii, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo, Pontificatus Nostri octavo. — I T. —

Aloisius Card. Traglia

S.R.E. Cancellarius

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens

Expedita die XXV Aug. anno Pontif. VIII

Carolus Card. Confalonieri

S. Congr. pro Episcopis

Praefectus

Joannes Calleri, Proton. Apost.

Gaspar Canvagalli, Proton. Apost.

In canc. Ap. Tab. Vol. CXXXVI N. 46

Most Rev. Antonio Mabutas, D.D.

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI venerabili fratri **Antonio Mabutas et Lloren**, adhuc Episcopo Laoagensi, electo Archiepiscopo titulo Valariensi atque Coadiutori cum iure successionis sacri Praesulis Davaensis, salutem at apostolicam benedictionem. Petentibus interdum sacris Ecclesiarum Praesulibus ut sibi coadiutores Episcopi subsidio submittantur, qui sibi etiam in regimen succedant, cum suae dioeceses legitime vacent, aequissime haec sancta atque Romana Ecclesia concedit, quae Christi munere universam christianorum familiam administrat: ex qua sane re commodum duplex sperat, sive videlicet fore ut ipsorum Antistitum necessitatibus subveniat, cotidie gliscentibus, sive ut nulla in regiminis successione aut mora aut damnum timeatur. Quam ob rem, cum venerabilis frater Clodo-veus Thibault, Archiepiscopus Davaensis, hac ipsa sit condicione, Te censumus, venerabilis frater, bene eidem assignari posse, qui cum ingenio tum rerum usu, tum etiam pietate atque religione antecedis, atque spem certam facis Te magno cum animarum fructu coadiutoris munus gerere posse. Quae cum ita sint, vinculo solventes prioris Sedis Laoagensis, quo destinereris. Te ad Sedem titulo Valariensem transferimus, quam censemus eousque archiepiscopalis ordinis haberi, quousque Tu eius titulum obtinebis: item Coadiutorum cum iure successionis nominamus eius, quem diximus. Ad ius iurandum quod attinet atque fidei professionem faciendam, ab his Te eximimus, contrariis nihil obstantibus. Occasionem capientes, clerum atque populum archidioce-sis Davaensis, qui olim tui erunt, paterne hortamur ut non solum Te magna dilectione excipiant, verum etiam Tibi pareant, sive nunc Coadiutori sacri Praesulis tui, sive in posterum, cum nempe in regimen legitime successoris. Eidem clero populoque erunt etiam hae Litterae Nostrae perlegendae, die festo de pracepto in cathedrali templo, post eas acceptas primo. Ceterum, venerabilis frater, Deo optimo maximo, cui parent omnia, vota facimus ut qui Te, patris quasiritu, ampliore induit dignitate, Te paribus quo que donis accumulet. Laboranti autem Tibi assit beatissima Virgo Maria, rosa candida, apostolorum mater ac regina. Datum ex Arce Ganfulfi, prope Romanam, die quinto et vicesimo mensis iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sep-tuagesimo, Pontificatus Nostri octavo. — I T. —

Aloisius Card. Traglia
S.R.E. Cancellarius

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens
Expedita die XXV Aug. anno Pontif. VIII

Joannes Calleri, Proton. Apost.
Gaspar Canvagalli, Proton. Apost.
In Canc. Ap. tab. Vol.
CXXXVI N. 47